Sed paucis adhuc dicendum de annexo *Commentariolo de Contumulatione pecorum contagioſorum animam adhuc trahentium*, qui iisdem principiis Phyſico-Magico-Medicis natales ſuos debet. Siquidem in ipſa Deductione ſat apertè indicavi, non alia de cauſa hoc argumentum â me ſuſceptum eſſe, quam ut Veterum Magia & Phyſica ſana, â ſcholaſtica & magiæ abuſu hactenus obſcurata, tanquam Sacræ Scripturæ, ac inprimis Patriarcharum genuinæ Phyſicæ conveniens, caput iterũ erigat, donec tandem, experientiâ vindice, tota emergere, ſuosquè Cultores repetere poſſit. Prudenti ergò conſilio & Theologica circumſpectione cum ſuprà laudato Dno M. Grünewaldio, Paſtor loci, Dn. M. Gregor. Reichius, ſcientiis Phyſicis non mediocriter inſtructus, Contumulationem hanc, uti Acta judicialia, tam in Præfectura Bitterfeldenſi, qvàm Judicio Hoyeriano, & in his proprium Atteſtatum de Neubaueri Chriſtianiſmo, teſtantur, comprobavit: dum econtrà qvosdam, Promptuario Exemplorum Hondorffii & Sturmii, aliisqve hujus farinæ Poſtillarum fabulis forſan deceptos, ipſis Confratribus ſuis, ſimili calamitate œconomica oppreſſis, pactum aliqvod cum diabolo implicitum, & ſub ejusmodi contumulationibus latens, omnibus modis perſvadere, adeoqve Curæ hujus ſympatheticæ defenſores catalogo hæreticorum & atheiſtarum adſcribere, nihil veritos eſſe recordamur.

Et cum tandem Phyſici, tam magici quàm mechanici, uno verbo veri Medici, nomen nullo modo mereatur, qui fœcunda illa ſcientiæ hujus matre, Chymia nempe & Spagyria, non imbutus eſt, ſub calcem addidi *Obſervationes & Experimenta Chymico-Phyſica de piſcinis ſtagnantibus, & lacubus*